

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

51
56

PARENTATIO

ILLVSTRISSIMO AC
LAVDATISSIMÆ MEMORIÆ PRIN-
CIPIS AC DOMINO DOMINO JOACHIMO
ERNESTO PRINCIPI Anhaltino, Comiti Ascaniæ,
Domino Servestæ ac Bernburgi, septimo ab eius beata
demigratione anno primùm facta ac recitata in il-
lustri Gymnasio Soraborum A. D. VIII.

Id. Decembrès, Anno.
cl. l. XCIII.

A

IOHANNE THEOPOLDO.



SERVESTÆ:

Excudebat Bonaventura Faber.

ANNO 1594



12



SE R V E S T A E
Excubitor Bonaventura F. l. c.
ANNO 1554



P A R E N T A T I O.

HÆC est illa dies, quam nos ut semper acerbã,
 Semper honoratam (sic Dij voluere) colemus.
 Hæc est illa dies, columnen Telluris avita,
 Septenas hyemes, septenas ante & aristas,
 Qua Princeps patria & Pater, heu ERNESTE FOCHI-
 Oppetis, & luctu & lacrymis populorumq;, tuosq; (ME,
 Contristas, obitu hinc abiens nimis immaturo.
 Heu probitas, heu cana fides, invictaq; inani
 Mens odio, spernens tumidam sine viribus iram,
 Religione DEI cui nil antiquius, a qui
 Atq; boni cultu nil religiosus unquam.
 Ite pias, precor, exsequias, manibus date plenis
 Lilia, purpureos tumulo superaddite flores:
 His cumulate pios donis manes: ego inani
 Munere defungens, deductum promere carmen
 Aggredior, pietas mihi quod dictavit, honori
 Principis invidit nec tanti laevis Apollo.
 Sit fas affari manes, sit Principis urnam
 Visere, sit non ficta loqui, & res pandere versu.
 O anima illustris salve, exuvia salve

Magnanimi Herois, quo vix praeclarius alter
Vincere Marte viros, & pacis dona tueri.
Nam quae dura tibi properatam Numina mortem
Immisere, dies nec seros ducere in annos
Annuerunt, digno Cumaam vincere longa
Annorum serie vatem? Quae dira libido
Peccandi, iratum fuit ausa lacesere Numen,
Principe tam forti, patria tam Patre fideli,
Ab nimis ante diem viduarit ut Ascanis oram?
Sunt haec, sunt certe nobis verissima signa
Numinis offensi: quin & fortasse sequentur
His peiora, nisi hinc meliora capessere mentes
Tentabunt nostra, nisi murus abeneus inter
Iratumq; DEVM, delictaq; nostra struatur
Assiduis votis, quibus arcem oneremus Olympi.
Verum quid queritor? jam ad te vestigia flecto,
Te canere est nobis animus, fortissime Princeps,
Tu mihi carmen eris: sed non tamen ordine longo
Innumera attentans numero comprehendere Avorum
Nomina, principium generis tibi ab Ascene ducam,
Nec tibi Majorum pietas, aut fortia quicquam
Facta addent laudis: propria virtute nitescis,

Ipsa

Ipse tibi satis es, magnum satis argumentum
Es mihi, per laudesq; tuas iuvat ire, secundis
Adspirante DEO cœptis, & Apolline dextro.
At vos, celestis doctores gratia, & artis
Ingenua, & varias qui promitis ore loquellas:
Et vos, ò juvenes, divini Heliconis alumni,
Ferte mihi placido manantem corde favorem,
Perq; brevis spacij nostris date tempora dictis.
Vnde sed exorsus ducam? Mihi copia primos
Occludens aditus, media & postrema videre
Non sinit, & dubiã reddunt facta ardua mentem.
Nam tua seu primos repeto cunabla per annos,
Seu qua macte animo juvenis generose patrasti,
Deniq; seu curas & facta virilia specto,
Genua labant, duroq; humeri sub pondere nutant.
Pandite nunc Helicon, Dea, date pocula lymphis
Plena caballinis, sitientia, queso, labella
Pimplai irrorata rigate aspergine fontis,
Ut veluti nivibus torrens pluvialibus auctus,
Principis in tanti laudes fluida ora resolvam.
Nam puer, & tremulo tentans pede fingere gressus,
Religionis iter vera, callemq; salutis

Ingressus, magni monitis, ductuq; Parentis,
Famulum sincera fovam pietate colebas,
Famulum Majorum strinxit tibi pectora virtus:
Quorum tu memori volvens sub pectore laudes,
Solis ad occasum qua clarent solis ab ortu,
Et quas nulla dies venturo subtrahet aro,
Famulum pone legens vestigia fervidus instas.
Qualis, cui coepere leves increfcere penna,
Ales, radere iter liquidum, & se credere caelo
Audet, & insequitur matrem non nisi bus aquis.
Sape Pater dixit: Majorum, extendere, more,
Nate, decet famam, & clarescere fortibus ausis,
Ne jactare aliena magis videare, tuis quam
Aeterna egregijs acquirere nomina factis,
Ne generi indecores quis nostro, Atavisq; Abavisq;
Arguat indignos, qui nobis parta tueri,
Qui dubitemus adhuc proprias adjungere laudes.
Cernis, ut ALBERTUM, titulus cui competit URSI,
Miscuerit Superis virtus, cui, sceptrum tenente
LOTHARIO imperii, totus cui subjacet orbis,
Septem cessit honos, ditioq; decusq; viratus,
Qua spaciosa suos protendit Marchia campos,
Qua

Quà Viadrus curvis praeinixit flumina ripis.
Quid memorem equali decoratum laudis honore
OTTONEM o generis decus ingens? quid BERENHAR.
Qui meruit septemq; viri, nomenq; solumq; (DVM.
Gens quod prisca colunt latis Saxones in arvis,
Et quod arenosis Albis interluit undis?
Fortia cui non nota satis sunt facta RODOLPH?
Hic grave Martis opus, te Casare, Maximiliane,
Suscipiens, Venetos ingenti clade subegit,
Virtutem hic propter, fidos propterq; labores,
Fidus Anhaltinum sanguis cognominatus,
Perpetuum generi nostro decus addidit. Horum,
Horum, ait, Horum alta maneant sub mente repostae
Incluta facta, Horum, gnate o vestigia semper
Fac altè inquiras: imprimis, nate, Georgij
Fac Patruj placeat pietas, cui dogmata semper
Atq; fides cura, verbumq; docere. JEHOVAE:
Ille DEO semper laudes, gratesq; canebat.
His incensa pij soboles generosa parentis,
Sensibus haec imis posuit praecepta, subinde
Instimulans dictis animos, nec se dare rectis.
Doctrina renuit jussis, poscente magistro.

Sic

Sic quoniam pueri mentem mulcere iuvabat,
Cervicem & primis extemplo in cursibus aevi
Flectere: sic vitium excoquitur genitoris Adami,
Fœda mortales quod labe coinquinat omnes,
Et cui nos scelerum proprios superaddere nexos
Suevimus & prona quævis in crimina cæcis
Motibus impulsi ruimus. Nam cerea molles
In vitium flecti gestamus pectora: quicquid
Vel gerimus, tacita vel mente revolvimus, absq;
Numinis afflatu, flagrantes Numinis iras
Præmia sortitur mortem, Stygiaq; paludis
Flumina caruleo fumantia sulphure, pœnas,
Omnipotens genitor justa irritatus ab ira,
Si velit aequat a delictis lance referre.
Doctrinâ sed vis augetur & insit agliscit
Virtus: eluitur labe, studiumq; colenda
Sophrosynes fervet: frigescit prava cupido,
Nec perdit blanda sobolem indulgentia matris
Nec perdit seva damnata licentia pœna;
Cum teneris balbi celebrari cœpit ab annis
usus sermonis, cum se jam lingua resolvit
Ore liquefcenti titubans lapsantia verba:

Depressa

Depressa incipiat jamtum lasciva juventa
Subdere colla iugo, & moderata adsuescere vita.
Hac soboles demum terrestri est aptior aula,
Hac soboles demum celesti est aptior aula,
Passa jugum qua saepe tulit pia vota Jehova,
Illius astriferam mores referentur in aulam.
Sic igitur Princeps teneris exercitus annis,
Dum facilem monitis praeceptorum admovet aurem,
Non alioq̄ animos, alio nec dividit aures,
Excolitur studijs, mollescunt pectora, mores
Esse feri cessant, crescit, crescentibus annis,
Virtus, atq; suis surgit velocior annis.
Jamq; nova illustris facies lanugine vernans
Vestitur, fervet proavum sub pectore virtus,
Nec patitur resides animos segnescere, pulcra
Nec patitur turpi segnescere membra veterno.
Illicet, est artes animus cognoscere belli,
Et varios casus, & adire pericula mortis,
Et conferre manum, & sevis concurrere in armis.
Annuerat genitor: non fit mora: protinus arma
Ille humeris aptans, lorica ex aere rigentem,
Tum clypeum, & capiti galeam, cristasq; rubentes,

B

Lethis

Lethiferumq³ enses lateri alligat, impiger adstat,
Hinnitq² auras sonipes atq² ictibus implens
Crebra ferit: tandem arata stipante caterva
Progrediens juvenum, magni Mavortia Regis
Castra petit CAROLI, cui tum parebat Iberus,
Aurea Romani qui post sceptrum Induperator
Regni sorte tenens, implevit fortibus ausis
Phœbi utramq² domum. Proh quantum fortia facta
Edidit hic noster? quot seva pericula subivit?
Non illum vigilis piguit perducere duro
In clypeo noctes, piceos contemnere nimbos,
Frigora dura pati, radios tolerare calentes,
Æstivo & sub sole jubar, quando acer anhelos
Æstu findit agros, & canas urit aristas.
Non illum gladij fulgor, quem strinxerat hostis,
Terruit adversi, intrepidum ferriq³, necisq³.
Ascanius qualis, genitore absente, catervam
Invadit Rutulum, nervoq³ armatus equino,
Perq³ caput Remulum, & duro cava tempora ferro
Trajicit: haud aliter se in aperta pericula mittit,
Irruit, ac hostis medio sese agmine miscens
Ascania Princeps dat fortia pectora leto

Pluri-

Plurima, & audaci mittit sub Tartara dextrâ.
Tantus amor laudis, tanta est victoria cura,
Armaq; latanti captiva referre parenti.
Ergo illum stupuit miles, miratus & ipse
Grande rudimentum Rex & primordia Martis,
Constituit secum casus adsciscere in omnes
Tanti animi juvenem, (cei quondam fidus Achates,
Dardanio Ænea casus comes ibat in omnes)
Nec quisquam Heroem poterat flexisse rogando,
Ut, positus, patrias remearet saluus ad oras,
Armis, ni Patri jam fila extrema feroces
Nevissent Parca, patrias ni tradere Gnato
Heredi cum Fratre paret gens subdita sedes.
Ergo ubi commissas regni suscepit habenas,
Et jurata fidem dederat gens Ascene dicta,
Armorum studio Princeps pacemq;, togamq;
Pacatam, crepero antetulit Martiq;, Minervam,
Inprimis studuit caris dare civibus aqua
Iura, sacris tutas firmare & legibus urbes,
Ne plus injustus juris, quam justus haberet.
Nec mora, consilium & de religionis inibat
Partibus, & templis si quos malè suada lubido

In tulerat ritus, paulatim abolere parabat,
Et si quas turpis pura Lupa Romanensis
Adpersas fidei sordes ille verat, aufert.
Nec non blasphemi labor est depellere tetros
Eutychis errores, quos Flacica turba recoxit
Improba, Nestorijq; adversa refellere sensa.
Hac dum magnanimus prudenti pectore voluit
Princeps, & nullum pro religione periculum
Horret, honos pura fidei movet, acrius instant
Jussa se vera DEI, suadet mens conscia veri,
Suadent celestis populo qui oracula verbi
Explanant: suadent consulti juris & aequi:
Ecce novus prodit toti exitiabilis orbi.
Monstrosa foetus cauda, genitore Fabello,
Mille trahens varios deformi in codice navos:
Inscriptas nam quot comprehendit pagina voces,
Tot vitia intus alit, totidem crassos errores
Occulit, & placida dum fallit nomine pacis,
Bella serit, dirosq; movet super orbe tumultus,
Innocuos patria extorres facit, ejicit omnes,
Qui tam monstroso renunt dare nomina libro.
Nunc etiam cœdes spirat, natumq; parare

Exi-

Exitium Patri, fratrem facit atq; sorori,
Dum dubias hominum reddit de dogmate mentes,
Dissocians animos, fraternaq; fœdera rumpens.
Nam docet, intacta desumptum virginis alvo
Corpus, corporibus, demta, quod, labe, redemptor
Celitus adveniens, nostris simile induit, omnem
Omnem implere locum, nec celi lucida tantum
Templa, sed infernosq; lacus, terrasq; jacentes,
Et maris immensi liquido sub marmore fluctus:
Quasi vera: nec intemerata ventre puella,
Numinis afflatu divini operante sacro,
Conceptus jacuit, decimum nec viscera mensem
Inclusus sacra tulerit fastidia matri,
Nec verè egressus vitale in lumen & auras,
Illi nec dederunt præsèpia lignea cunas,
Præbuit aut riguas genitrix castissima mammas:
Non ille Herodis ferro, gladioq; frementis
Crudelem fugit dextram, nec, tempore lapsò
Iusta ubi sanguineum extinxissent fata Tyrannum,
Niliacis redijt Iudeas Christus adoras.
Quid? Nec succrevit corpus, crescentibus annis,
Caperunt dotes nec pectoris incrementum.

B 3.

Non²

Non illum recutita cohors comprehendere in horto,
Addere in arcta manus potuit nec vincula sanctas,
Nec sanctos diris artus vexare flagellis,
Vertice nec montis tristi cruce fixus adhesit,
Nec pia credentum plebs imposuere sepulcro,
Nec postquam celo terris lux tertia venit,
E tumulo superas victor remeavit ad auras,
Nec terrâ auctus, magnum orbis inane, polumq;
Transcendens, celsis sese arduus intulit astris,
Nec, tranans astra hæc, sese altius intulit astris,
Nec celos habitans nunc est excelsior astris,
Nec scelerum vindex veniet sublimis ab astris,
Indice nec digito monstrabit quinq; petatum
Vulneribus corpus, poterit nec cernier ulli.
Prodigiosa quidem sunt hæc portenta, nec unquam
Sacris lecta libris: non inferiora sequentur.
Illam ipsam carnem morsu discerpere acerbo
Addocet, inclusam parva sub tegmine crusta,
Mentiturq; Deum panem sub fragmine panis,
Escam nec mentis, ventris discriminat esu,
Cum comedente Fide Christus se in pectora condat,
Humanis nec visceribus sua viscera condat.

Illam

Illam ipsam in carnem, superi qua Rector Olympi
Propria habet, nullis unquam tribuenda creatis,
Illam, inquam, in carnem, fingit Concordia vecors,
Transfusa omnia, & hac massa, ceu vase, teneri,
Nec λόγος esse hujus compagem corporis extra.
Impius hinc liber iste facit carnem omnipotentem,
Qua sint, qua fuerint, qua mox ventura trahantur,
Scire, docet, carnem: Sic carnem Numen Olympi
Fabricat, & geminum Numen mundo introducit.
Orbem sed citius linguat sol aureus, alma
Oceanum & subiens consueta cubilia querat
Matuta, cunctos quam sit memorare nefandos
Codicis infandi navos, monstrosa₃ menda.
Hos horrendos errores, hac monstra perosus,
Hac ut magnanimus ditione repelleret Heros,
Has Fidei pura sedes, hac sacra canoris
Extruxit patria bonitate palatia Musis,
Quas, Percandre, sacri huc deduxti vertice montis,
His vim defendens, statuens his pramiam, largè
Nutrimenta dedit, fovit, fidosq₃ magistros,
Qui vera erudiant in religione juventam,
Qui triplicis dotes lingua, sophiaq₃ reperta,

Quis

Qui juris promant decreta, artemq; medendi,
Constituit. Tanto doctrina ardebat amore,
Quin & , ne erroris, ne falsi dogmatis, hostes
Hos merito arguerent catus, aut labe notarent,
Iactarent dictis aut se vicisse superbis:
Haud renuit Synodo confluere, dicere coram
Haud unquam erubuit, te respondente, sacrorum
O praeses, Christo & sacris adamate Camanis,
Quae super articulis fidei sententia nostris
Mentibus insideat, non stultis ducta cerebri
Sensibus humani, sed sacris hausta scatebris.
Hanc quoq; , erat labor, excultis defendere scriptis,
Quae nullo poterunt hostes convellere seculo,
Nec poterunt nuga, aut ranarum lingua coaxans,
Nec fex atra Flaci, aut mendax abolere Fabellus.
Nec verò accepit tantum haec demissa per aures,
Adsuevit ve oculis alienis cernere verum:
Ipse sed assiduò volvens, iterumq; revolvens
Plena salutiferis doctorum scrinia libris,
Ante diem calamum ac divinas poscere chartas.
Ac velut Hyblais è floribus optima quaq;
Dum rignos saltus, dum florida rura pererrant,
Melli-

Mellilega sugunt volucres, redolentia ut inde
Cogant mella favis, repleant & nectare cellas:
Aurea sic pius ille Heros excerpere dicta,
Aurea, & aeterna semper dignissima cedro,
Cogere & in numeros, & seria vota solebat,
Edita quae exemplis, & terris didit a multis,
Servantur manibus Libitina rapt a cruenta:
Quae vivent, donec mundi rogos ossibus astra
Misceat, & celi gemmantes subraat arces.
Verum laudatis, Sophia, conatibus, ipse
Non arcem ascendit tantum, fructusq; labore
Percepit dignos: Sobolem perducere eodem
Cura fuit, tenerosq; viam monstrare per annos,
Exemploq; docere suo, quo tramite ad astra
Virtus pandat iter, quam difficili orbita clivo
Ductitet ad superos, nisi pura sobria vita
Sit ratio cura, praeat nisi lampada claram,
Cum studio veri, doctrina vividus ardor.
Nam verè dium statuit dixisse Platona,
Urbes tum demum, fore tum populosq; beatos,
Si culti studijs Sophia, virtute magistra,
Imperium teneant, vel si, qui sceptrat tenerent,
C Pracla-

Praeclara excutiant veterum monumenta Sophorum.
Cetera virtutum referam quibus ornamenta
Versibus? In sese virtutem continet omnem
Unica mortali pietas tutissima virtus.
Non hac Eois Aurora nuncius alma
Phosphorus exit aquis illustrior, aut petit undas
Hesperus Oceani, quando nox algida caelo
Ingruit, ac suadent labentia lumina somnum.
Sed tamen huic socias addunt se plurima turba,
Quae circum Dominam famula stant ordine longos
Astrae imprimis, a quo quae pondere lancem
Librat, quae iusti, quae servantissima recti est:
Tum facilis flecti miseris clementia, pressis
Parcere quae didicit, poenis & plectere fontes.
Dein quae multiplici rerum progignitur usu,
Et dubia major vicibus prudentia sortis.
Hinc frangi indocilis nimio potuq³, cib³q³,
Cui nunquam sero placet emta dolore voluptas,
Nec pingui patitur tremat omento popa venter.
Blanda verecundum decorabat gratia vultum,
Et vultu probitas, humilisq³ modestia sedem.
Illustri in facie sibi legerat: haud erat ille

Visu

Visu difficilis, vel non affabilis ulli,
Quem non is patrio est miseratus pectore egenum?
Annon hospitio fovit, quos tristis Erinnyis
Immot a simplex verum ratione professos
Expulerat laribus proprijs, ac sede paterna?
Ceu quondam Abdias, divino percitus æstro,
Collectos cæco abscondit, pavitq; sub antro
Fatidicos centum numero, sanctosq; prophetas,
Dedere quos letho Iesabel furibunda parabat.
Quin & confectum squalore, & carceris umbris
Eripuit, Solisq; in aprica luce locavit
Eximia virtute virum, præstantior alter
Quo non, evere atq; exponere dogmata verbi,
Aut tristes docto medicamine tollere morbos,
Aut celi motus, astrorum & reddere vires,
Noscere naturæ abstrusas indagine causas,
Et Sophia quicquid Cyclus complectitur omnis,
Cui non indulsit veniam, qui supplice culpam
Deplorans gemitu, vitæ melioris, & actus
Spem fecit recti? Visus subtristior ille est,
Delicti quoties rigidas exposcere pœnas
Sontibus à miseris decreti norma coëgit.

C 2

Scili-

Scilicet is nōrat, pro magno saepe, parenti,
Delicto, esse parum pœna satis. Ergo Cimōnis,
Et Crassi, & clarum cui fecerat Africanomen,
Affectus faciles, & mitia corda probabat,
Nil delectatus diri Busiridis aris,
Aut Diomedis equis, Siculi taurove tyranni:
Et quid multa? Boni patrisq; & principis ille
Effigiem referens, patrio est complexus amore
Cives, & patriam tutatus pectore forti.
At nunc ille jacet Patria Pater, inclytus Heros,
Extinctum Pietas lugubri squalida amictu
Luzet scissa comas, largoque humectat ocellos
Flumine: Stant Charites, querulisq; ululatibus aethram
Complent: Castalides lacrymosis vocibus altos
Abreptum faciunt scopulos resonare patronum,
Flet quoq; Milda pater, nigrasq; eructat arenas
Albis, & impositus pons illo Authore tremiscit:
Flet soboles generosa suum, flet patria patrem,
Omnibus & templis mœsti dant signa doloris.
Hæc quoq; tam subito tremuerunt pulpita motu,
Sublatoq; sibi fulcro timuere ruinam.
O quam tum hoc voluit, magnoq; emisset, ad unum
Turba exosa bonos, alienoq; invida nido.


O qua

O qua tunc illis fallacia gaudia mentem
Tentabant, quantos miseri duxere triumphos,
Quam subsannanti torserunt labra cachinno,
Fraxinus ut cecidit nigris inuisa colubris,
Circum qui atrata sinuosa volumina cauda
Hic & ubiq; trahunt, & turpi cuncta venenant
Tabo. Luserunt Superi sed futile votum,
Augurio & fisos caeco cortina fefellit.
Tam bene prospiciunt nostris bona Numina rebus.
Non metus: Es fatis equidem super athera raptus,
O J O A C H I M E ERneste, poli & supera alta petisti,
Ambrosia, junctus cum dijs, ubi vesceris alma,
Oraq; mellifluis celestis nectaris imbre
Proluis. At virtus mansit tua in orbe superstes:
Hac tua progenies heres Telluris avitae,
Heres virtutis patriae simul, ac Majorum,
Hac pollet, reducemq; facit te funere raptum.
Cernis ut in J A N O pietas veneranda GEORGO,
Tranquilla & studium vitae, pacisq; togata
Ferveat? ut populum tuta statione gubernet?
Adspicis ut belli, laudumq; ardore feratur,
BERNardo cum fratre, armis Christianus in aureis?
Ut structas inhiat acies, ut marcida fervens

Ocia detestans, lituos & castra sequatur?
Nec minor AVGVSTVM, & reliquos ex ordine fratres,
Et Belli, & Pacis stimulat sub pectore virtus.
His in tu nobis igitur ceu redditus Orci
Fauce reviviscis, virousq; repullulat ardor.
His equidem salvis, nunquam te obuisse fatebor.
Hos igitur salvos ut servent Numina, crebro
Fundere vota juvet, patriis ut moribus oras
Hasce regant, templis sectas pellantq; profanas,
Sacros tutentur ritus pietate paterna,
Ut patria maneant in religione nepotes,
Nec, nisi cum seris albescent tempora canis,
Nec, nisi cum saturos vitai fecerit etas,
Ætheream sedem, & cœli laqueata revisant.

Tu verò, JOACHIME parens ERNESTE, coruscis
Addite sideribus cœli nova gloria, Salvæ,
Æternumq; vale, & grati cape munus alumni,
Exiguuum munus: dignas quia pangere laudes
Fictis, muneribusq; tuis persolvere grates,
Non opis est nostræ, nec opus mortale putandum:
Salvæ ERNESTE Pater, manes salvete Joachimi.

F I N I S.



Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





51
56

PARENTATIO
ILLVSTRISSIMO AC
VNDATISSIMÆ MEMORIÆ PRIN-
CIPIS AC DOMINO, DOMINO JOACHIMO
NESTO PRINCIPI Anhaltino, Comiti Ascaniæ,
Domino Servestæ ac Bernburgi, septimo ab eius beata
demigratione anno primùm facta ac recitata in il-
lustri Gymnasio Soraborum A. D. VIII.
Id. Decembrès, Anno.
cl. l. XCIII.

A
IOHANNE THEOPOLDO.



SERVESTÆ:
Excudebat Bonaventura Faber.
ANNO 1594

